



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Exercitium quo infirmus seipsum suspirijs atque gemitibus (quia aliud vix potest) Deo resignet atque commendet, & vt eidem coniungi mereatur, feruenter desideret. Precatio ad Patrem cœlestem, & ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Omnipotens æternæ Deûs, creator & amator meus, laudo, adoro, & benedicite, quod in peccatis & ægritudinibus meis ad eum misericorditer ac longanimiter me tolerasti vsq; ad hanc horam, ad quã tuis beneficijs me perduxisti, vitam & vitæ necessaria, angelicamq; custodiam mihi conferens indigno & contumelioso. Ah piè Deus, quis scit, si ad vesperam mihi viuendi terminus prorogabitur, aut quã mortem ego sortiar? Misericordissime Domine Deus & pater, da mihi contritionem, qua ex toto corde meo peccata mea, & quod te offenderim, defleam. Et non sinas animam meam de corpore egredi, nisi per misericordiam tuam sit tibi reconciliata, per tuam gratiam adoptata, tuis meritis atque virtutibus ornata, charitate perfectissima inflammata, & secundum omne beneplacitum tuum tibi accepta. Clementissime Domine Iesu Christe, si tibi quod desidero placeat, da mihi, licet indignissimus sim exaudiri, da mihi (quæso) in hac vita à peccatis meis omnibus per miserationes tuas infinitas, & per tuæ passionis merita purgari, vt moriens ex vehementi & vera contritione compunctus, & ardentissima charitate tibi vnitus, emigrem ad te dulcissimum redemptorem meum, ab omni damnatione ac purgatione alia immediatè liber atque securus. Nihilominus offero atque resigno me tibi, amantissime Iesu secundum omne beneplacitum tuum ed agendum & patiendum pro gloria tua: hoc vnum orans, vt memor sis fragilitatis, vilitatis, instabilitatis atque miseræ meæ, simulq; bonitatis & charitatis tuæ, vt nunquam derelinquas me, neque recedas à me, sed totum semperq; tu regas & possideas me secundum beneplacitum tuum, Amen.

Exercitium, quo infirmus seipsum suspirijs atque gemitibus (quia aliud vix potest) Deo resignet atque commendet, & vt eidem coniungi mereatur, feruenter desideret.

Precatio ad Patrem cælestem & oblatio Christi meritorumq; eius.

CANON XVII.

Omnipotens clementissime Pater, omnes pœnas & dolores, opprobria, verbera & conuitia, omnes aduersitates, incommoda & labores vnigeniti filij tui Iesu Christi agni immaculati, quæ in corpore suo sustinuit propter me, omnes etiam actus & singula membra eius propter me afflicta, sanguinem eius propter me fusum & pedibus conculcatum, animam quoque eius nobilissimam & piissimam propter me à dilecto corpore separatam, virtutes etiam & merita eius infinita: item vires animæ & corporis eius, & omnia in eo vitalia propter me in mortem tradita, & nihilo minus inseparabiliter diuinitati vnita, imò Christum totam benedictum filium tuum, Deum & hominem, omnipotentem & infirmum, despectum & gloriosum, miracula facientem & in cruce pendentem, tibi offero in expiationem & satisfactionem omnium peccatorum meorum atque totius mundi, & in mortificationem atque extinctionem malorum omnium passionum, affectionum ac vitiorum meorum, in suppletionem omnium negligentiarum mearum & in laudem & gratiarum actionem omnium beneficiorum tuorum. Deus propitius esto mihi miserissimo peccatori propter illum. Miserere mei ob amo-

ob amorem Iesu Christi dilecti filij tui. Qui cum eodem filio tuo & Spiritu sancto
vinit & regnas Deus, per infinita seculorum secula, Amen.

Precatio ad Filium.

CANON XVIII.

O Amator fidelissime, misericordissime Domine Iesu Christe, da mihi vt ex
orde & animo sentiam quod dico: *Quem admodum desideras ceruus ad fontes* Psal. 41.
aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Elegi abiectus esse in domo Dei mei,
magis quam habitare in tabernaculo peccatorum. Beati qui habitant in domo tua Domine,
in secula seculorum laudabunt te. Sicut anima mea ad te Deus, quando veniam & appa-
rebo ante faciem tuam? Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo,
quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus. Illustra faciem tuam super
seruum tuum, saluum me fac in misericordia tua Domine, non confundar in eternum, quon-
iam inuocauit te. Deus ne elongeris a me, Deus meus in auxilium meum respice. Tibi dere-
lictus est pauper, orphano tu eris adiutor. Tu es refugium a tribulatione qua circumdedit me,
exultatio mea, erue me a circumdantibus me. Intende in adiutorium meum Domine Deus
salutis mea. Quoniam fortitudo mea & refugium meum es tu, adiutor meus & protector
meus Ne igitur derelinquas me, neque desicias me Deus salutaris meus. Ecce venio ad te,
quem desipxi & offendi Deus meus, quia misericordia tua plena est terra. Ad mi-
sericordissimum igitur te Patrem confugio. Suscipe me secundum eloquium tuum
(quo dicis: Nolo mortem peccatoris) & viuam, & non confundas me ab expectatione
mea. Pro vita temporali non rogo Deus meus, sed te qui es vita eterna in animam
meam inuoco. Heu dulcis amator, heu Domine Deus meus quod vnquam offendi
te, quod tuas inspirationes & monita neglexi, quod vnquam aliud preter te aut
extra te amavi: pro hoc doleo Domine Deus, atque vtinam des mihi, vt ex toto
corde meo doleam & lugeam per omnia momenta vite mee. Vtinam omnis san-
guinis mei guttas cum lachymis pre dolore & amore in suauissimum cor tuum
tibi fundere & offerre possem.

Dulcis Iesu neque vitam, neque mortem, sed tuum beneplacitum desidero
& expecto: fiat mihi secundum voluntatem tuam. Si vis vt moriar dulcis Iesu, sus-
cipe spiritum meum: & licet ad vesperam venerim omnium nouissimus, da mihi
vt tecum, & in te requiem accipiam sempiternam, si vero vis vt diutius viuam dul-
cis Iesu, hoc propono & pro hoc gratia tua suffragium rogo, reliquum vite mee
corrigere, atque in holocaustum tibi totum offerre in gloriam tuam, & secundum
beneplacitum tuum. O desiderabilissime Iesu, quia vitam meam in peccatis con-
sumpsi ad contumeliam nominis tui gloriosi, nec tibi hactenus seruire coepi: da
mihi vt vel nunc perfecte incipiam, & omnes anima & corporis mei, omneq; resi-
duum tempus mihi abs te concedendum, in gloriam & secundum optimam ac per-
fectissimam voluntatem tuam expendam.

Misericordissime Iesu adesto mihi propitius in his pœnis ac miserijs, quibus
teneor: & si quæ grauiorcs super me venerint, quia & grauiora & grauisima com-
merui peccatis meis, fac vt patientissime tolerem Dulcis Iesu, si nihil vnquam de-
hiquissem, aut nihil mali apud te commeruisssem, nihilominus ad gloriam tuam
& in tui amorem ac beneplacitum, in has & in quaslibet alias pœnas me tibi pro
tua voluntate offero atque resigno, non in mea virtute confidens, sed in miseri-